Symbol: Patior ut Potiar 2

N° 4.— ad

Quaestionem

In Conventu publico Illustrissimae Academiae Regiae Chirurgorum Parisiis expositam:

Quomodo cum influxu sic dictarum rerum non naturalium in Tractatione Morborum ad Chirurgiam pertinentium est comparatum?

Responsum

Inter caetera, quae Chirurgum tum rationalem, tum meritum reddunt, illud etiam unum ac praecipuum est, ut ad aegrobos accersitus, optatum sibi finem assequi valeat.

Hic opitulantur Materia Diaetetica v Res non naturales sic dictae recte administratae.

Notoriae harum sunt sex in foro medico, et dividuntur in sex Classes, nempe: 1. Aerem. 2. Assumenda v. Cibum et Potum, 3. Motum et quietem. 4 Somnum et Vigiliam. 5 Se- et Excretiones quascunque. 6. Animi Pathemata; de quibus si pertractatum, simul etiam totum negotium Diaeteticum absolutum fuerit.

Res sunt, quae quidem directe et simpliciter ad essentiam corporis internam non pertinent, sive secundum usitatam loquendi formulam non Corporis essentiam ingrediuntur, ad constituendum illud; interim ad conservandum atque durationem ejus sustinendum absolutae prorsus necessitatis sunt.

Harum abusu multoties aegri graviter patiuntur, imo pereunt, et Machaon a sua arte infamatur.

Influxui dicto, re ipsa et rationibus fultum proferam.

Agamus igitur jisce de rebus, et primum:

De Aere, ejusque Effectibus in Corpore Vulneratorum v De aeris influxu in Morbis Chirurgiae tributariis

Physici unanimiter de Aere constituunt: quod sit fluidum subtilissimum, particulari pelluciditate, Elasticitate simul etiam gravitate certa munitum, Sphaeram quoque nostram terrestrem passim altitudine certa circumcingit; ab illo non solum omnia spatia a Corporibus crassioribus vacua implentur, sed mediante etiam subtilitate, quam possidet in poros omnium Corporum tam Solidorum, quam fluidorum penetrat, si nempe dicti pori debitam ac requisitam habeant magnitudinem, et Aeris ingressum permittant.

absq[?]

Absque Aere Salubri Scimus non Corporis nostri Sanitatem, nec temperationem laesa' habere;

Ideo ad durationem et conservationem Corporis humani requiritur ab Aere, ut sit à Vaporibus et ab omnibus inquinamentis liber, non putridus et infectus, sed moderatus in Calore et frigore; hisce qualitatibus äer exercet absolute necessarium ac utilem effectum, ita ut inter Sex res non naturales ex capite utilitatis et necessitatis absque Controversia habeat praerogativum.

Teste experientia quotidiana hinc indè Chirurgus incassum ägroto medicam adhibebit opem, si ignoret influxum aeris, ejusque effectum, vel illum denegare audet.

Prae omnibus oportet habere notitiam de Aeris differentia et particulis illum implentibus; quae si impura, communiter Excretiones vel Vapores denominantur.

Äer non esto simplex, et ejusmodi, sed ex pluribus dissimilibusque componatur particulis, ex aethere, aqueis vaporibus, ac terrestribus expirationibus permisto; et sicuti ad vitam Salubrem vel valetudinem collapsam in meliorem redigendam Statum, aut optimè dispositam conservandam requiritur Äer purus, nitidus, quoque debet esse dissitus à fodinis, voraginibus, specubus, Stagnis, paludibus, è quibus Jugi fermentationis ope tetri, nebulosique vapores, varia effluvia Salina, ut vitriolata, nitrosa, aluminosa, realgarina, Sulphurea etc. erumpunt, äeri commiscentur, illum conspurcant, quae proditorie inspirata diversimodè afficiunt corpora praeter puritatem et nitorem temperatus esse debet, nam nimis frigidus et acidus poros arteriarum constringit, Sanguinem, caeterosque circulantes humores concentrat, inspissat, et incrassat, illi intempestivam Stagnationem conciliat; nimis calidus Succos calore suo resolvit, et Salia humiditate destituta exaltantur, ita quoque pro diversa in eo excedente qualitate corpus diversimodè afficit.

Vitandus ideo est äer et à Vulneribus ulceribusque ej abigendus, qui solus ita vulneris poros distinere potest, ut gangraenae aperiantur fores. Sic in momento vulnus recens constringi posset, ne äer externus irrueret, nec amplius quid è vulneribus effluoret, à solo liquore nutritio dulci fibris, aliisque tubulis ruptis apposito consolidaretur. ante omnia ergo frigus quantum possibile, arcendum est, ob frigus enim äeris affectus Sanguis cum reliquis Succis in vasis valde exiguis, ac Succi in tubulis suis subsistere coguntur, ac progressu temporis quendam acorem contrahunt, unde tumor inflammatorius,

rubor

rubor, ac dolor etc. maximè itaque aëris habendus est respectus, qui
saepe quid in sinu gerit, quod vulneribus infensum est, ubi constat
ex obsidione Insulae Candiae, ubi Christiani tum temporis levissimè
vulnerati, quidquid etiam adhibuerunt Medici et Chirurgi, obierunt;
contra Aethiopes ad Caput bonae Spei habitantes gravissimis vulneribus
nil aliud applicant, quam Sevum ovillum, quod vulneribus calidum
instillatum ea feliciter curat. nimirum aërem jam ingressum expel=
lendo, et recentem non admittendo. Sic in culinis, si carnes pu=
trescere incipiunt, earum juscula acescunt, et hac ratione vulnera
facile in ulcus degenerant; hujus putredinis indivisibilis comes est
aër vitiosus ac peregrinus, et sicut aliis partibus est hostilis, ita
in specie in partibus laesis omnium symptomatum supervenientium
est auctor, et tanquam vitiosum fermentum vulneris labia inquinat,
nutrimentum Balsamicum et sanguinem affluentem degenerare
facit, et corrumpit, ac fermentando in pus mutat. Hinc vulnus
recens apto Balsamo à corruptione, et acore putredinali vindicabi=
tur, citra puris genesin, et facile coit. Hinc rationem eruimus:
cur in uno Atmosphaera vel Climate facilior, et in altero dif=
ficilior existit vulnerum sanatio. Si aër frigidus, et nebulosus,
aut abdita ratione loci endemica inquinatus, aut adstantium
halitibus, et occultis aporrhaeis fuerit infectus. Hinc est
quod Chirurgi accuratiores halitum semper aliorsum efflant,
ne vulneris labia attingant, nec promiscuè omnes admittunt
ut vulnerum sanationem et deligationem inspiciant, in specie
in partibus nervosis, ut Mulierculae propter Menses, potui de=
ditos et inebriatos, ex hac ratione etiam Conclavia et
hippocausta, ubi aegroti imprimis Lue venerea, alio contagio
infecti fuerunt, sunt vitanda. Ex his clarè innotescit, quam
pessimè sanitati aegrorum suorum illi consulant Chirurgi,
qui saepius vulnera detegunt, et aëri exponunt.

Tandem dico: Si Corpus humanum in omnibus suis
partibus perspicuum est, aër etiam subtilissima consistentia,
non mirum est, quod influxu suo activitatem realem in
corpus exaggeret. Et tantum de aëre.

Nunc absoluto Ordo jubet ut agatur

De Assumendorum influxu.

Cibus et Potus in tuenda sanitate, et alterandis pro=
fligandisque morbis non est minoris energematis. Addimus et nos,
quod pleraque mala esculentis et potulentis originem habere obser=
vantur. in Physiologia agnoscitur tam pro adagio, quam pro
axiomate: illud quod vitam facit, vitam destruit. Clarissi=
mus Fernelius propterea rectè scripsit: unam gulam hominum
esse propè morborum matrem, atque intemperantiam medico=
rum esse nutricem. aegrotantes et vulneratos fame et siti

Cru=

cruciari oportet, inquit Medicorum Princeps ille Hippocrates.
Cibus itaque sit tenuis, boni lacteique Succi, hinc enim generatur optimus Chylus, qui vulnerum universalis est Balsamus, et quod veteres Naturæ adscripsere, id nos huic Succo nutritio adscribimus.

Si prænarrata veritati conformes sint, esto noster victus facilioris coctionis, plurimum Sale alkalico refertus, ut Salia corrosiva obtundant, ac circurrent. ægri super energia assumpti cibi acidi qua Medici sui ipsius quotidiani sunt testes, ex hac nota mirum non est, quare omne acidum et acer sinistrum relinquat effectum, Sanguinem enim omnesque Succos ab illo derivandos inspissat, imo ad circulationem facit ineptos. absque legitima Diæta ratione nil laude dignum experitur.

Si etiam in ægris de Potus administratione requiritur ille sive sit alimentalis secundum Consuetudinem vel medicinalis caussam morbi respiciens. potus non sit liberalico, sed moderatus, de excessu notorie testantur quotidiana experta in vulneratorum proprium præjudicium. febres, inflammationes, Spasmi, convulsiones, hæmorrhagiæ et tales etc. oriuntur.

In eligendo Potu omne illud censetur, quod visu gustu et olfactu purum ac sincerum esse deprehenditur; quod nullo modo odorem olfactui v. saporem gustui offert, quod levitate et tenuitate sua per corpus cito distribuatur.

Et hæc sunt dicta de assumendis, quantum quidem is pro ægris facit. nunc agendum est.

De Motu et Quiete.

Motus et Quies ad Sanitatem tuendam, morbosque profligandos magnam habent vim in legali administratione, et absque his alia vitia Diætetica non meliorantur.

Generaliter motuum complura sunt genera, verum cum quiete ita in alternis vicibus instituenda sunt. quo minus Spiritus deprimi, aut motus eorum impediri queant; quoniam per motum Sanguis et Succi nostri attenuantur, et ad circulationem promptiores redduntur; Quies vero nimia Spiritus animales in musculis nostris nimis exhaurit, producitque vappescentem lutosum ac visciduum Sanguinem et Succos, quia bini ita in nimietate influunt suis notabilem exercent energiam, eapropter oportet, ut motus sit moderatus, secundum materiam morbosam, vitæ genus, sexum, aetatem; nimius motus Spiritus, et Solidarum partium substantiam exhaurit, et dissipat. consequenter totum refrigerat corpus, coctionem præpedit, venas, aliosque sæpe rumpit ductus, unde vomitus, exspuitiones, ac mictiones sequuntur cruentæ, hæmorrhagiæ suppressæ revocantur. motu etiam valido Sanguis cum impetu extra venas fertur, et hinc inflammationes et gangraenæ in partibus ex- et interioribus excitantur.

Quod

Quod si Sanguis in venis agitetur, imalesiatque febres, multosque languores, praesertim si totum corpus pravis scateat humoribus, excitat. Siquidem pravi humores, qui anteà quasi consopiti quiescebant, valido agitati motu per universum feruntur corpus, et in parte imbecilliori tumores excitant et ulcera: si autem ad interiores regurgitant, alvi profluvia vel vomitus concitant, aut intra venas haerentes, febres accendunt, aliosque plurimos generant morbos.

Motui etiam jure appono eloquium, quia per hoc mediante aucta respiratione circulus sanguinis per totum corpus augmentatur, igitur nimia garrulitas vulneratis et omnibus, qui congestiones sanguinis versus pectus et alia loca, vel laesiones viscerum nobiliorum patiuntur, interdicenda.

Quemadmodum moderatus motus bonâ valetudini summo est emolumento, ita moderata et commoda quies eidem plurimum confert, illa non tantum corpori, verum etiam animo multum necessaria. Sicuti motus vulneratis, et morbis chirurgicis decumbentibus in excessu nocet, ita continua quies et otium sanitati recuperandâ maximè adversatur, enim ex hac sequitur lentus sanguinis circulus, et ex hoc necessario humorum spissitudo, consequenter adest impedimentum maximum omnium se- et excretionum, pariter sanguinis impuritates amplius generantur, et atonia partium solidarum oritur. ex hisce omnibus sunt derivandâ conclusiones sequentes: ergo omnes actiones naturales, vitales et animales fiunt debiles, et irregulariter excitant. est igitur moderatus motus, moderataque quies in morbis chirurgiâ tributariis servanda, verum semper partis conditio est attendenda. et hae de Cibo et Potu.

De Somno et Vigilia

Naturâ compertum est, ut vita nostra somno atque vigilia alternatim gaudeat. Somnus est humanae vitae melior pars, animi quies à debiliori influxu spirituum obortus, ejus plurimae sunt utilitates, nam et cibus melius in somno conficitur, collapsae vires reficiuntur, et dolores ac animi passiones consopiuntur, vel leniuntur; vigilia verò ad alimenti distributionem, et inutilium reliquiarum se- et excretionum magis quam somnus conferre videtur. Functiones autem animales, quarum vita expetitur, nisi in vigilia fieri rite nequeunt. Somnus sit ut alia res diaetetica moderatus, taliter plurimum confert sanitati, et vires reficit lassas, humidum radicale restaurat, viscenbus est cibus, dolores sedat, animi molestias abigit. immoderatus verò sanitatem destruit, nam naturales impedit evacuationes, appetentiam dejicit, crudos cumulat humores, calorem hebetiorem reddit, et spiritus animales torpidos, unde actiones omnes segniores fieri necesse est, quaque corpus enervat.

Sint

Sicut Somnus nil aliud est, quam mortis frater, Sensuum quies et cessatio, ita vigilia eorundem actus et exercitatio. Hinc moderata vigilia profecto Spiritus et Sensus excitat, vegetioresque reddit Spiritus et calorem in universum distribuit corpus, alimenti distributionem adjuvat, excrementorum expulsionem promovet, et membra vigore facit. praeterea vigilia nimia et immoderata vires exsolvunt, plurimos dissipant, et absumunt Spiritus, et Corpora labefactant, coctionem impediunt, cruditates pariunt, et ad totius corporis et mentis noxam praebent ansam.

Somnus atque et Vigilia moderata Sanitatem laesam restaurant, immoderata verò eandem destruunt, neutrum horum modum excedere debet. Tantum etiam de Somno et Vigilia.

De Excretis et Retentis.

Sub Excretis et retentis illud comprehenditur, quod perpetuo aliquid de corporis nostri Substantia v. Sensibiliter v. insensibiliter deperditur, ad cujus restaurationem alimenta sufficiuntur atqui ea, quae ingeruntur, talia plane non sunt, quale id, quod absumitur: Coctione igitur elaboranda, atque utilia corpori alimenta commutanda sunt, sed non tota, ea propter utilium ab inutilibus separatio fieri debet, utilia retinenda, inutilia excernenda sunt, ut corpus in Salubri Statu conservetur; Caeterum si quae in corpore retineri debent, excernantur, aut si quae excerni oportebat, retineantur, valetudo depravatur.

Quoniam Excretiones verò tam ratione impuritatis, quam ratione Superfluiditatis Humorum sunt considerandae, igitur jure impuritates in Consuetas et naturales, et in inconsuetas et praeternaturales dividuntur. Consuetis et naturalibus approprio excrementa alvi, urinae, Sudoris, et Transpirationis, muci, lacrymarum et Ceruminis aurium, inconsuetis et artificialibus autem ad excretionem manu artificiali impuritates cogi debent. Humores superflua, quae directè pro impuritates non agnosci queant, sunt excretio Seminis, lactis et Sanguinis.

Si faeces alvinae debito tempore et quantitate non excernantur, coctio interturbatur, inappetentia et nausea excitatur, dolores, Spasmi, Convulsiones, Congestiones Sanguinis et inflammationes oboriuntur etc. eodem pariter modo de urinae excretione intelligendum, hinc superfluae humiditates ad nutritionem corporis nostri ineptae, partim insensibiliter perspirant, et partim earum Copia per vesicam excernitur. Sudor est salubris si intra suos coerceatur fines, nam per Cutis poros toto corporis ambitu et habitu noxias purgat humores. Atque etiam in-

Sensibilis

Silit transpiratio qua corporis nostri Serum subtilisatum et in vaporem mutatum; Si Sit conveniens et legitima corpus Sanum reddit. eadem est reliquarum excretionum ratio ut: Sputi, muci, et praesertim flatuum, ex queis retentis multa generantur et augmentantur mala.

Lac equidem ad excrementitias humores non pertinet, tamen saepe requiritur, ut hae qua humor laudabilis secernitur ad praeavenda mala ex ejus retentione exorienda.

Seminis excretio quidem etiam non infert damnum, moderata vero valetudini confert.

Sanguinis excretiones naturales, ut haemorrhagia mensium et haemorrhoidum etc. Si Diaetetica considerantur, debent se sistere tempore debito, aetate, periodo, quantitate, ac in emunctoriis à natura praefixis. nam si naturalis evacuatio naturalem non servet viam, adhuc morbosa est. ut si per viam insolitam flueret.

Sic consistit communis Naturae lex: excrementa et inutilia excernenda, utilia vero retinenda, et omnia quidem haec tempestive et moderate, in copia et prava qualitate.

Excreta ac retenta denique ad ordinarias leges revocentur, praesertim Menstrua in foeminis, nec insensilis transporatio impediatur, sic et Lac in Lactantibus, urina, Saliva, ut et alvus sit lubrica, ita ut aeger regimine Diaetetico cum Sanitate prestina in gratiam redire possit.

Tandem agendum erit

De Animi Pathematibus

Quam verum et apertum est, nostrum Corpus humanum e duobus essentialibus magna differentia partibus: ut et anima et corpore, consistere, tam obscurum et indecisum videtur, quomodo hae partes binae conjunctim adhaereant, cooperent, ac unum prae alio patiatur; testante quotidiana experientia scimus, certas comprehensiones et cogitationes animae, certis immutationibus et actionibus corporis tam exquisite obstrictas esse, ut eo ipso ex his etiam corporis consequatur alteratio; praemissa una alterave corporis alteratione in momento observamus animam ab hac esse affectam. Hoc unicum est, quod praeprimis de unione animae cum corpore certitudine proferre

possum

Ex his ulterior intelligendum erit: quomodo prævijs certis animi Passionibus, etiam mutationes indubitatæ in Corpore neces=sariò existere queant? Cur unus præ alio ad certa plus minus in=clinet pathemata, quod præsertim à Dispositione corporis et Temperamentis vel non Ethica Educatione derivatur. ex hoc mo=tivo dividuntur animi Pathemata, in ea, quæ in omnibus ho=minibus per objecta exteriora caussantur, ac in talia, quæ na=turalem, hæreditariam vel saltem à morbis acquisitam corporis dispositionem habent. Spectatis hisce caussis quoque occa=sionalibus apparet: Cur et quibus viribus Passiones sinum plus minus exercent influxum? Cur omnia Pathemata moderata ad Conservandam totius corporis constitutionem non solum maximam habeant energiam, sed etiam corpus à naturali statu in morbos conjicere possint, si modum excedant.

Pro tuenda et recuperanda valetudine corpori nostro aptissimus affectus est gaudium, Spes namque cum sit futuri boni expectatio, est afflictorum medicamen. gaudium itaque moderatum et non repentinum hinc principem tenet locum, totum enim corpus, Cor et omnes Spiritus vitales recreat, Spi=ritus et Sanguinem à Centro ad Corporis peripheriam diff=undit; immodicum verò et repentinum gaudium Cor relaxat, et Spiritus à Centro ad circumferentiam movet, nimium dissi=pat, et ad externas diffundit partes etc.

Sicut gaudium animi Securitatem et quietem affert, ita Moestitia, quæ gaudio est opposita, quia Spiritus et Sang=vinem à corporis circumferentia ad centrum retrahit, oppo=sitos inducit effectus; nam subitas mutationes in corpore ut terror panicus, non efficit, tamen lenius et pedetentim id plurimum immutat, nativum enim debilitat calorem, Corpus refrigerat, et ob Cordis constrictionem pulsum, Le. et excretiones imminuit etc.

Hinc oeconomiam totam turbare queunt, et multum ad affectus nostros producendos contribuere possunt; cum enim anima corpori tam amico foedere juncta sit, ut nihil ipsi eveniat, quin pro illius constitutione aut simul gaudio afficiatur aut tristetur, aut id, quod corpori ~~inopinatè gratum v. perniciosum quid obveniat, illi Statim in auxilium adesse omni ratione~~ molestum est amovere conetur, si forte corpori inopinatè gratum vel perniciosum quid obveniat, illi Statim in auxilium adesse omni ratione conabitur, quando

Spiritus

Spiritus magna copia ad omnes corporis partes determinabit, qui tanta celeritate, fulminis instar, ad singula corporis puncta penetrabunt, et inde non Sanguis duntaxat ac Humores reliqui in certo particularum suarum ordine conturbentur, quo postmodum paucos Spiritus promere queant. Sed magno isto impetu sæpius ex latibulo quodam expellatur fermentum peregrinum, quod Succis admixtum oeconomiam turbat animalem.

9

Ira, cum sit Sanguinis ebullitio circa cor propter appetitum vindictæ, Spiritus et Sanguinem turbat, exagitat, et cum impetu ab interioribus ad exteriora moventur, hac ratione hæmorrhagias, inflammationes, gangrænam, spasmum, convulsiones, febres, aliaque excitat symptomata, quandoque apoplexiam et mortem.

Timor etiam insignes in corpore efficit mutationes, nam in hoc calor, Sanguis et Spiritus exteriora deserunt, et ad Cor subito revocantur, unde partes externæ algescunt, artus contremiscunt, dentes strident, corpus pallet, pulsus fit parvus, vox interrumpitur, et vires concidunt.

Tandem Veneris usus præcipue vulneratis gravissima infert symptomata, vitandus est itaque ne breve illud dulcedinis tempus talia reddat mala, quæ nullis remediis extirpari possunt.

Igitur omnes animi affectus temperandi sunt, et ubi vel levissima commotio percipitur, confestim ejusmodi ignis, aqua continentiæ extinguendus est. Vitentur ergo risus, ira, moeror, cura, tristitia, invidia, amor vesanus, et plura alia vehementiora animi Pathemata. Hæc sunt Sanguinis et Humorum corporis reliquorum maximi coagulatores, et qualem Tragoediam producant, omnibus Chirurgis notum est, imprimis in Vulneribus et Ulceribus, ubi omnes Succi liquidiores esse debent, ut eo citius per canaliculos minutissimos fluere et reflu-

-ere

-ere possint. Hinc enim fit consolidatio, à Stagnatione verò et Coagulatione è contra fiunt inflammationes, tumores, ulcera et plura alia mala.

Enarratis rebus non naturalibus, communi Statuimus Sententia ex earum legitimo et moderato Usu Sanitatem conservari et languores abjici, contra vero ex importuna earundem administratione morbos generari atque foveri in omnibus medioeritas habenda est.

Atque hæc sunt, quæ de Influxu Rerum non naturalium in Morbis Chirurgiæ tributariis mihi commentari libuit, quod an assecutus sim, id Doctiorum et Clarissimæ Academiæ D: D: Censorum erit Judicium, cui hæc quoque libentissimo animo subjicio.